

De tabe dorsuali : dissertatio inauguralis medica ... / auctor Guilelmus Koenig.

Contributors

Koenig, Wilhelm.
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Typ. Nietackianis, 1837.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/bsn3yh9e>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DE
TABE DORSUALI.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA
FRIDERICA GUILIELMA
AD SUMMOS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE IMPETRANDOS
DIE XII. M. DECEMBRIS A. MDCCCXXXVII.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR
WILHELMUS KOENIG
RHENANUS.

OPPONENTIBUS:
A. MEYER, MED. ET CHIR. CAND.
H. RIELAENDER, MED. ET CHIR. CAND.
L. METTEGANG, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

Digitized by the Internet Archive
in 2016

V I R O

**DOCTISSIMO, AMPLISSIMO,
EXPERIENTISSIMO,**

H. SENDLER,

COHORTIS IN BORUSSORUM REGIS EXERCITU MEDICO

FAMILIAE AMICO, FAUTORI SUO

NEC NON

F R A T R I

CARISSIMO, DILECTISSIMO

ADOLPHO KOENIG,

PHARMACOPOLAE

H A S C E
STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Haesitanti mihi saepenumero de aliqua conscribendi dissertationis materia, cum jam omnia morborum genera tam totiesque pertractata sint, atque persuasum habenti, me juvenem sine experientia nihil novi scribere posse, succurrit Cel. Truëstedt, qui observationi meae tradidit hominem tabe dorsuali laborantem. Etiam si vero de exitu hujus aegroti nihil sciam, cum nosocomium polyclinici dereliquerit, tamen hunc mor-

bum describere atque pro viribus
meis de illo disserere conatus sum.
Ignoscas igitur, benevole lector, stu-
diorum meorum primitiis atque ne
dura et severa dijudicatione opuscu-
lum meum condamnes, neve ni-
mium exspectes, a te peto. Vale!

CAPUT I.

Morbi, cujus descriptionem mihi proposui, vestigia jam in antiquissimis rei medicae auctorum scriptis reperiuntur. Cujus rei testes sunt Hippocrates, Galenus et alii, qui omnes non solam hujus morbi delineationem nobis tradunt, sed adeo causam et naturam. Hippocrates de morbis lib. II. cap. XLIX: »Tabes dorsalis ex spinali medulla oritur, praecipue vero recentes sponso et libidinosos corripit. Febris sunt expertes, bene comedunt et colliquantur. Quod si ita affectum perconteris, asseret sibi videri ex superioribus partibus a capite velut formicas in spinam demitti, cumque urinam aut stercus reddit, semen genitale copiosum et liquidum ei prodit, neque generatio fit, et inter dormiendum, cum uxore dormiat, nec ne, veneris lubidria patitur. Cumque alias tum praecipue per locum arduum iter fecerit aut cucurrit, anhelosus et imbecillis evadit, caput gravatur et aures

sonant. Hic temporis progressu vehementibus febribus correptus perit ex lipyria febre.« Quin, ut mihi videtur, illum morbum saepenumero antiquis Orientis atque Occidentis medicis occurrisset necesse fuit, quia tam perditis illorum temporum moribus permagni erant in Venere et Baccho excessus, qui pedissequam saepe maximam ad partem habent tabem dorsalem.

Nomen hujus morbi, jam ab Hippocrate adhibitum, quamquam a multis recentioribus scriptoribus repudiatum, nunc adhuc valet et recentior solummodo, quamvis longior, vox, atrophia medullae spinalis, minatur illud detrectare. Alii(1) hunc morbum tabem dorsualem vocatum, ad phthiseos familiam reducunt, quod vituperandum mihi videtur, nam valde differt phthisis a tabe dorsuali. Haec enim atrophii potius adnumeranda est, cujus rei plures existunt causae, et externae et internae. Ad externas potissimum pertinet pressio, pseudoorganisationibus, effusionibus variis effecta. Nos tamen sub atrophiae genere internis ex causis adductum intelligimus morbum. Pars atrophica per se ipsam et gradatim nu-

(1) De myelophthysi, dissertat. inaugur. Sigismund. Eduard. Loewenhard. Berlin 1817.

C. F. Harles in adnotationibus practicis ad V. „Eine schon längst unter dem Namen tabes dorsualis oder Rückendarre bekannte Consumptionskrankheit, eine wahre und eigenthümliche myelophthisis aus etc,

tritionis inopia emaciat et ad parvulum voluminis sui spatium reducitur; quo elucet longe abesse tabem dorsalem a phthisi.

In phthisibus enim destruitur organi structura et contextus suppuratione, qua efficitur, ut materiae ad organismum nutriendum necessariae in puris conformationem conferantur. Solummodo hac in re inter se conveniunt atrophia et phthisis, ut organis ad vitam necessariis conservandam seu suppuratione seu atrophia correptis organismus solvatur.

CAP. II.

Symptomatologia. Secundum phaenomena et veram naturam hujus morbi tria stadia sunt discernenda: 1) stadium incipiens seu irritationis; 2) stadium incrementi seu paralyticum; 3) stadium hecticum.

I. Stadium incipiens seu irritationis. Aegrotus, hilaris et societatem amans, solitudinem petit, tristitiae sensu oppressus; frequenter ac repentino animi affectiones mutat, levi irritamento in majorem justo laetitiam aut angores incidit; levissimas intentiones magnam sequi defatigationem, membrorum debilitatem, gravitatem, tremorem conqueritur. Saepissime consentit aquae seu frigidae seu ferventis dorsum decurrentis effectum, quae phaenomena formicationis sensu frequenter excipiuntur: interdum dolor punctorius, nunc lenior, nunc vehementior per dorsi spinam trahitur. Coitus exercitationem valde aspirat, semi-

nis tamen ejaculatio tam citius quam sub prioris amoenitatis inopia elicitur; quin tam imaginationis conformationes remotissimam libidinum atque voluptatis speciem prae se ferentes, quam minimum materiale in genitalia irritamentum, e. g. indusii, alvi adeoque urinae secretio ad seminis copiam ejiciendam sufficiunt. Semen ipsum carere dicitur, quod credo, consistentia sua atque odore qualitativo et in massam convertitur magis aquosam, quam a prole provocanda prorsus alienam esse, facile intelligi potest. In principio morbi satis genitalia turgescunt in seminis ejaculatione, paulatim vero relaxantur, neque erigi possunt, quo fit, ut pollutionibus vere diurnis patiatur. Appetitus ciborum irregularis, cibi autem non satis assimilantur, nec legitime in organismi usu convertuntur; macrescunt praecipue extremitates inferiores et regio lumbalis et dorsalis, eo modo, ut processus spinosi magis magisque tangentibus digitis patiantur. Sequitur etiam stupor et mentis functionum turbatio, hypochondria, melancholia, somnus sine recreatione.

II. Stadium incrementi seu paralyticum. Macies valde adaucta, oculi in orbitarum cavis alte positi, languescunt, fulgore vitreo et acie orbiati, luminibus saepe capiuntur; facies pallida, senis prae se fert imaginem. Aegrotus sine sustentatione non ambulare potest, peculiaris pedum et genuum positio, in genua incumbit, corruit, neque recta sunt genua neque prorsum flexa, sed potius retrorsum, ut angu-

lum exhibeat; clausis oculis uno pede non stare potest, nam caret aequilibrio, quod visus organis tamquam sibi procreat (1). Paralysis extremitatum inferiorum et omnium musculorum, qui nervos a truncis, e cauda equina profectis, accipiunt, unde involuntarii urinae et faecis secessus, interdum obstructio et dysuria. Emaciatio, paralysis sociae, magis magisque crescunt, nec recte teneri potest columna, justo magis inflectitur et dorsum fit obstipum. Ingenii acie orbatus et mente captus, quin ipse finem imponere vitae suae, aut accessione phthiseos pulmonum, renum aut periculosissimo omnibus medulla spinali laborantibus decubitu exstinguitur.

III. Stadium hecticum. Aliis et quidem letalibus morbis non aggressis morbus tam gravis medullae spinalis totius corporis reactionem promovet, unde febris existit hectica; primo nocturnis paulatim et matutinis horis planta pedum manus ardescunt, rosa hectica, sudores nocturni, diarrhoea etc. Paralysis ingreditur etiam superiores partes, paralysis pulmonum et sic porro.

CAP. III.

Aetiologia. Deducitur paene ab omnibus scriptoribus tabis dorsualis causa ab immodica atque luxuriosa vita; nimia coitus exercitatione seu seminis

(1) Signum pathognomonicum secundum Clar. Dr. R o m b e r g.

ejaculatione via haud naturali effecta; masturbatio per se ipsam plus affert detrimenti, saepius exercetur, et tunc quoque seminis excretiones extorquet, cum jam coitus normalis amplius exerceri non potuerit. Internam autem necessariam quoque esse tabis oriundae causam censeo, praedispositionem, nempe qua deficiente oriri non potest, nam saepius tunc nobis occurrisset tabes dorsalis, morbus etiamsi non rarissimus, tamen non frequens. Natura hujus dispositionis ignota, tantum solummodo scimus, graciles atque nervosas constitutiones frequentius morbo huic succumbere, quamvis sint, qui in plethoricis et robustis eum observarint (1). Adhuc inter judices lis est, an tabes dorsualis viros solummodo ingrediatur. Qui negant, pro se habent, usu coitus foeminas materiam tam magni momenti non amittere, et exempla statuunt in meretricibus. Tamen mihi errare videntur; differunt verummodo foeminae inopia seminis, sed nervi earum etiam debilitantur atque patiuntur, et manustuperationis nocivis sequelis infestantur. Testes sunt creberrimae hac ex causa ortae genitalium degenerationes, atque experientia jam diu docuit, foeminas etiam tabe affici posse (2). Ceterum meretrices, quod notum est, in coitus exercitatione

(1) Brendel, dissert. de tabe dorsuali. Gott. 1749. §. XII.

(2) Sigism. Eduard. Loewenhard opere citato.

Hoc anno in nosocomio meretricem observavi, quae omnia symptomata tabis dorsualis praebebat.

magis passivae quam activae reperiuntur; unde hunc morbum magis in foeminis libidinosi et voluptuosis quaerendum esse censeo, quam in meretricibus, quae lucrandi causa machinae instar, corpus suum viris tradunt. Tabi dorsali verae, hoc est manustuperatione ortae, plerumque viri succumbunt ab aetatis anno 18—30, serius rarissime exulta observabatur.

Hic pertinent etiam haemorrhagiae ex inferioribus partibus, itinera longa et difficilia, reconvalescentia e nervosis febribus, ubi nervorum systemate labefactato coëundi immodica voluntas observatur, quam satisfactam facillime tabes dorsualis sequi potest. Nescio, an mobilitatem senum minutam atque maciem extremitatum, quod censet Celeberrimus Ollivier(1), in atrophica medulla spinali ponam; nam senectutis est, liquida materia magis magisque destitui, telas varias indurescere et minui. Praeterea commemorandum est, tabis dorsualis naturam veram, quae omnibus aliis a morbis diversa est, in emaciatione et resiccatione caudae equinae, ejusque spinalis medullae partis, ex qua oritur, niti.

Phaenomena omnia morbi hujus tria stadia existere demonstrant. Irritantur usu nimio genitalia aut pedes, unde exoritur aut superirritatio nervorum, primum nostrum stadium, ubi irritabilitas morbose ad-aucta, cui aequalis vis et energia non correspondet,

(1) Ollivier. Ueber das Rückenmark, u. seine Krankheiten.

quam ob causam minima excitatione pollutiones, tumor atque debilitas extremitatum, fornicationis sensus, fortasse convulsiones in nervorum parvulis spatiis atque atonia systematis uropoetici, aliorumque medullae spinalis connexorum organorum; aut efficit frequens irritamentum congestiones, quae in chronicam myelitidem transire possunt. Aut, quod plurimum fit, congestiones fiunt passivae, relaxantur organi sexus, orbantur vi atque energia, unde aneurysmatica arteriarum commutatio, varices, haemorrhoides, cirsocele, spermatocele et sic porro. Necessarius denique exitus omnis suprainflammationis incedit paresis, paralysis nutriendi cessatio, tabes, unde stadii secundi symptomata explicari possunt. Stadium tertium per se clarum est.

CAP. IV.

Cadaverum dissectio. Defuncti tabe dorsali ostendunt semper medullae spinalis inferiorem partem, caudam equinam praesertim, quod ad volumen minutam; nervos interdum ab illa regione profectos, ut ita dicam, deficientes, nam vagina nervorum saepenumero inanis reperiiebatur, cujus testis est Ollivier opere citato p. 334, 335, 339. Morgagni de sedibus et causis morborum, epistolis XI, sectio X et XV; Chaussier, traité de l'encephal. anno 1807. p. 358. E notationibus, quas Morgagni ad aliquam a Vepfero factam observationem

addit, videtur frequenter in medulla spinali eorum, qui per longum tempus hemiplegiam perpassi sunt, magnam ejus exsiccationem reperisse, quae correspondebat paralyticae corporis dimidiaae partis affectioni. In eadem epistola laudat Salzmanni observationem, qui inferiorum extremitatum paralyisi defuncti medullam spinalem in regione superiorum vertebrarum lumbalium prorsus exsiccata invenit, cui accessit similis nervorum lumbalium affectio. Chaussierus nervos quoque eosdem in atrophiae et indurationis statu reperit. Quod doctissimus Loewenhard in dissertatione sua de myelophthisi chronica vera et notha descripsit, atque morbi historia et tabula aëri incisa explanavit neque ad phthises, neque ad atrophiam pertinere mihi videtur, sed ad pseudoorganisationes, quod ex historia sectionis unicuique mox patebit. Cujus similem casum observavit Cel. Ollivier op. cit. pag. 212.

CAP. V.

Diagnosis. Constat inter omnes eam esse difficillimam atque idcirco saepe in angustiis versari medicum et haud dubie diagnosis vera sectione rite facta invenitur, nam quanta est morborum a medulla spinali proficiscentium multitudo, tanta etiam eorum reperitur similitudo. Paresis, paralysis organorum tam locomobilium, quam ad sphaeram vegetativam pertinentium et dolores in omnibus his morbis, quam-

vis secundam naturam suam longissime inter se absint, tamen similes non desiderantur, atque exactissimae solummodo observationi totius morbi decursus et perscrutationi maxima ingenii acie factae anteactorum vitae generis et sic porro interdum contigit, ut hic morbus ab aliis distingueretur. Pro virium meorum debiliū ratione quid ad diagnosin faciliorem reddendam facere possim, tentabo. Organici congeniti morbi medullae spinalis, sicuti spina bifida, hydrorhachis, haematorrhachis, pneumatorrhachis et totalis defectus medullae in membranis suis facile cognoscuntur, neque longa hanc ob causam egent expositione. Spina bifida, si externum prodit tumorem, maxima ex parte in regione lumbali et sacrali positum, commutari non potest, externis tumoribus, praesertim cum alia non desint symptomata medullae spinalis morbis propria. Ceterum tenerrima aetate moriuntur his morbis praeditis. Paralysis aliaque symptomata similia per spondylarthrocacem adducta differunt a tabe dorsuali morbo ossium primario et medullae spinalis secundario. Pressione intumescentium seu suppurantium ossium patiuntur nervi et membranae medullam involventes, unde paralytica affectio maximam ad partem exoritur. Spondylarthrocacem secundum Francogallorum recentiores scriptores, quamvis oriundam ex onania, tamen infantes etiam corripere posse observavi, qui longe remoti erant ab omni

onaniae suspicatione propter aetatulam suam tenerri-
mam. Ceterum spondylarthrocace facile diagnosci
potest symptomatibus suis pathognomonicis externis,
constitutione scrophulosa etc. Contusiones, commo-
tiones, vulnerationes medullae spinalis, fracturae et
luxationes vertebrarum variis ejus locis affectis va-
ria proferunt signa; sed similia symptomata aut mox
vitae finem imponunt aut morbis hujus organi chro-
nicis originem tradunt, sicuti periostitis, arachnitis,
myelitis chronica, hydrops purulentus, sanguineus,
lymphaticus. Etiam si tunc pathognomonicorum sym-
ptomatum inopia veram morbi sedem et naturam non
cognoscamus, quod dolendum est pro arte nostra, ta-
men therapeuticae curae nullo modo nocet; nam le-
nis antiphlogosis maxima ex parte loco suo erit, non
omissis aliis rationibus. Arachnitis spinalis quomodo
discernatur a myelitide acuta ad amussim me scire, di-
cere nequeo. Secundum celeberrimos Ollivier, Du-
chatelet et Martinet constantia sunt symptomata
arachnitidis acutae opistotonus et dolor major minorque in
affecto dorsi loco, qui sub attactu et pressione non
augetur, interdum remissiones aut regulares inter-
missiones facit. Dolor gravis, quem hi aegroti se-
cundum medullae spinalis decursum sentiunt, signum
est constantissimum arachnitidis spinalis, qui cum ri-
gido atque contracto musculorum statu, saepe ad opi-
stotonum vergente, omnes corporis motus molestos et
dolentes reddit. Hippocrates sub pleuritidis dor-

salis nomine hunc morbum descripsisse videtur. Saepenumero arachnitis spinalem medullam excurrit et cerebrialis majores minoresve locos ingreditur; tunc symptomata graviora.

Myelitis symptomata non tam clara, nam videntur, qui de ea re disseruerunt, non satis loculenter in descriptione symptomatum atque sectionis inter arachnitidem et myelidem distinxisse. Exitus myelitis myelomalaxis esse videtur, quam non multi scriptores invenerunt; indurationem chronicam magis myelitis esse sequelam credo, qui ubi illa sectione patefacta est, longum per tempus aegroti medulla spinali laborarunt. Myelomalaxis fortasse peculiaris contextui hujus organi est supparatio. Atrophia etiam myelidem excipi posse credo, quod etiam observatur in aliis organis e. c. atrophia inflammatoria bulbi. Gravissimus isque altissime positus dolor juncto sensu fili ferrei ardentis per medullam tracti maxime constantia myelitis symptomata esse videntur. Motus et cubitus dorso, praesertim in calidis lectis dolorem maxime auget (1), quod sub attactu et pressu non observatur. His jungitur molestus fornicationis et surditatis in extremitatibus inferioribus sensus, paralyticae affectiones secundum variam myelitis sedem variae, nunc paralysis ad motum, nunc ad sensum, nunc juncta. Plerumque hemiplegia incipit, quam paralysis totalis sequitur. A principio

(1) Klose dissertat. de myelit. p. 32.

apparent interdum in extremitatibus convulsiones, postea paralysis, interdum contracti muscoli et dolentes, interdum laxi sine ulla rigiditate. Causa differentiarum ignota. Accedunt nonnunquam trismus, aphonia, dysphagia paralytica, dyspnoea, plurimum sub morbi acmen, aut ubi cerebrum quoque patitur, praesertim si baryecia, surditas, coecitas adsint. Animi functiones non valde laesae, rigiditas, incurvatio columnae vertebrarum arachnitidi spinali propriae desiderantur.

Chronicae myelitidis symptomata longe absunt a modo descriptis. Deest dolor, sed paulatim incedit paralysis extremitatum, recti et vesicae urinariae functiones laeduntur, pulsus nullum praebet signum et magna interdum parte medullae spinalis destructa desideratur, paralysis quod tamen rarissime fit. Myelitis chronica bis epidemica observata est (1) ann. 1815; Albergae haud procul a Genua et Dorstenii ad Lupiam a Sibergundio, hibernis in mensibus ann. 1822 — 23, confer Harless rheinische Jahrbücher für Medicin und Chirurgie Bd. VI. St. 2. pag. 79. Hanc myelitidis formam chronicam difficillime cognosci atque pro aliis morbis, praecipue tabe dorsuali habitam esse credo, quod ignoscendum propter magnam similitudinem. Secundum Celeberr. Harless plerumque aggredditur infantes, quae sub dentitionis difficilis, helminthiaseos aliorumque morborum formis curantur.

(1) Sessi in opere laudato Bergamaschi.

Suppressio haemorrhoidum secundum Celeb. Vogel et Raimannum, sympathia cum encephalide et pneumonia secundum Frankium, rheumatismus secundum Celeb. Ribes (1) saepenumero causarum nexum exhibent. Myelitis chronica et tabes dorsalis ex iisdem orta causis aggreditur easdem constitutiones et quaestio exstat, sintne iidem morbi tabes et myelitis chronica. Nam incipiunt ab iisdem phaenomenis atque eundem exitum praebent. Cura etiam therapeutica hanc suppositionem admittit, nam stadium irritativum est myelitidis chronicae primordium; stadia sequentia in utroque morbo magis paralyseos symptomata produnt, idcirco multi sunt, iique celeberrimi, qui hanc sententiam tueantur.

Exostosium, degenerationum, sponte ortarum, nodorum et tuberculorum in medullae spinalis massa aut ejus membranis adhaerentium diagnosis certa extra artis nostrae limites posita est, atque interdum solummodo suspicari potest talium morborum existentia.

Ab ischiade nervosa seu antica seu postica facile tabes distinguitur, praecipue dolorum recto atque lineari cursu secundum nervi utriusque dilatationem atque inopia aliorum tabi propriorum signorum.

Rheumatismus regionis sacralis et lumbalis, spasmus Paracelsi, cum tabe non facile mutatur, nisi totam hujus rheumatismi imaginem, causam et decursum clare ante oculos habeamus, etiamsi rheumatica

(1) Diction. d. scienc. méd. art. vertèbre.

e causa, ut jam supra commemoravi, arachnitidem chronicam, periostitidem, spinitidem etc. oriri posse existimo, quod momentosissimum esset in re therapeutica.

Paralyses a cerebri affectione exortae mentis functiones saepissime laedunt atque sensuum organa quod desideratur plurimum in medullae spinalis affectionibus. Accessus interdum sensus doloris in affecta cerebri regione, quae plerumque opposita est parti corporis paralysi affectae, dum in medullae spinalis morbis paralyticum corporis latus correspondet laeso medullae lateri, quin affectio paralytica ad motum anteriorem medullae partem, ad sensum vero posteriorem pati, sectionibus cognitum est, qua cum lege novissima physiologiae experimenta consentiunt (1).

CAP. VI.

Prognosis. Propter organi affecti dignitatem hunc morbum periculosum esse constat, tamen exstant completae sanationis exempla, neque inficiari potest, tamen mature cognitum ac rationali modo medicamentis adhibitis tolli posse. In primo stadio, aliis organis sanitate fruentibus, maxima est curandi spes; neque abest sub hac conditione in secundo stadio felix eventus expectatio; tristissimum atque prorsus insanabile tertium est stadium, quod certissime mors sequitur.

CAP. VII.

Pars therapeutica. Prima atque momento-

(1) Dr. J. Müller, Handbuch der Physiolog. d. Menschen.

sissima est indicatio omnibus in morbis, indicatio causalis, nisi causa tollatur, nullum auxilium afferendum constat. Ideoque indagandae sunt diligentissime causae eo consilio, ut removeri possint, quod tamen difficillimum esse existimo. Aegrotus a manustuperatione, creberrima causa, non reducitur ac mox ab uno in alterum stadium transit, quam ob causam omnia, quae possumus, applicanda sunt, ut a mala consuetudine reducatur. Removeatur a qualicunque foeminarum societate, solitudinem fugiat, quae laborum atque custodiae inopia manustuperationem admittit, imo in viro-
rum amicorum societate verbis et factis tempus terat, necesse est. Genitalium laxus atque infirmus status corrigatur balneis localibus ex aqua frigida admixtis paulatim aceto, alumine, glacie, ammoniaco sali et nitrico, quae solummodo in principio adhibenda sunt, ut roburentur genitalia; neque ullo modo irritantia, linimenta ammoniata etc. Haec enim remedia irritant, neque tonum et firmitatem organis debilibus reddunt, quod frigoris est effectus. Tabe a principio jam cognita quaestio exstat, num cucurbitulae cruentae interdum sint adhibendae, praesertim si morbi hujus primordia in myelitide chronica ponamus. Diaeta et totum vitae genus his regulis accommodanda sunt: lactis usus, leniter nutrientia, neque organa sanguifera, neque nervos irritantia, sed magis sedantia, sicuti aqua laurocerasi (?), digitalis (?) lactucarium, leniter purgantia tentanda sunt.

Opium usum propter obstructions, irritationem et congestiones plane rejiciendum esse existimo. Ruridegat, ambulationem in hortis, ad somnum ne utatur lecto plumis differto, sed simplicibus stragulis commendarem, regularis alvi apertio et vesicae urinariae evacuatio aegrotis maxime prodest. Camphorae usus in hoc stadio valde laudatur. Irritabilitate demum ad priorem gradum reducta spirituosae et volatilia linimenta locis inferioribus asferri possunt, e. g. aqua coloniensis, spiritus lavendulae, serpylli et unguentum nervinum, phosphoratum, olei aetherei etc. A priore etiam concludere licet, acidis interne datis, praecipue elixir acido Halleri, acido sulphurico et phosphorico magnum auxilium his aegrotis asferri. Paulatim vero ad vera roborantia et tonica transeundum est, qualia sunt vegetabilia amara, ferrum et alia, cum coetaneo meliorum alimentorum usu, primo magis e vegetabilium postea et animalium genere. Eodem modo procedendum mihi esse videtur in primordio secundi stadii. Completam vero paralysin non tolli posse existimo, minusque effici posse in stadio hectico, ubi secundum symptomata cura nostra instituenda est.

Nucem vomicam, ejusque praeparata, strychninum nitricum praesertim, nihil valere in hoc morbo, non solum theoria sed etiam experientia sat satisque docuit; nam scimus solummodo hoc remedium efficacissimum esse in medulla spinali et nervis ab illa profectis, ita ut convulsiones provocentur, atque quam-

vis in horum organorum alienatione dynamica nucem vomicam non sine utilitate adhibitam esse liceat, tamen non quadrat ad tabem dorsualem, cujus res et natura longe alienae sunt a dynamica medullae spinalis alienatione. Experimenta etiam hoc remedio facta tabem dorsalem non sustulerunt, sed potius auferunt doloribus et convulsionibus, quam ob causam paene ab omnibus haec curatio est rejecta.

HISTORIA MORBI.

C. K. faber scriniarius a sanis natus parentibus qui adhuc inter aetatis LVI. et LC. annos ab omni morbi genere immunes vivunt; infantium eorum duo defuncti sunt morbis infantilibus, ceteri, nostro aegroto excepto, optima gaudent valetudine. Variolam ru-beolam et scarlatinam primis aetatis suae annis se superasse enarravit atque ab omnibus morborum talium sequelis saucium se mansisse. Anno aetatis suae XII. contusionem abdominis perpessus est, qua mox restitutus est. Brevi post, annum XIV. vitae suae degens Postampium se contulit, ut scriniarii artem disceret, ubi inter quatuor annos, quos arti suae discernendae navavit, valde pollutionibus se laborasse conquestus est. Manustuperationem tunc se exercuisse negat, quod tamen suspicor, praesertim quum etiam amici ejus hoc objiciant. Annos XII. natus gonorrhoea, quam e causa syphilitica ortam aegrotus inficiatur, affectus est, quae vi naturae evanuisse narrat;

anno sequenti stipendia meruit, atque in hoc tempore
 mores ejus corruptos esse, ita ut Baccho et Veneri
 se traderet, affirmat. Anno suae aetatis XXIV. Be-
 rolinum redux factus matrimonium iniit, quod tamen
 a scortorum societate eum non retinuit, cujus docu-
 menta sunt gonorrhoea aliaeque infectiones syphiliti-
 cae, quibus laboravit his annis. Medicus Berolinen-
 sis ab his malis eum liberavit. Luxuriosae patris
 vitae delicta solverunt infantes, quorum sex genuit
 eosque infirmos, debiles, rhachiticos, scrophulosos, atro-
 phicos. Anno XXVIII. aetatis in vitae suae genere
 perseverabat, usque ad annum XXXII. ubi tabis dor-
 sualis primordia aegrotum vexare inceperunt. Appe-
 titus depravatus, minimum laborem lassitudo seque-
 batur, dolores in dorso et extremitatibus inferioribus,
 balneorum, quae nominantur russica, usus a medico
 commendatus (fortasse morbi causam in rheumatismo,
 quo tamen nullo tempore laboravit aegrotus, quaesivit)
 sine ullo eventu. Hiemali tempore MDCCCXXXV.
 in aliqua Berolini via ambulans animi deliquium per-
 pessus est, quod per dimidia horae partem durabat.
 Unde ab hoc tempore creber capitis dolor, vertigo,
 pavor e somno, obstructio alvi aut alvus pigra, dura,
 scybalorum in modum conformata, quibus perterritus,
 ad medicum homoeopathicum confugit, qui specificis
 odoribus, quos parvulis sacchari lactis pulveribus im-
 praegnavit, morbum tam gravem brevi levare polli-
 citus est. Nunc sudores debilitantes, ne scalae sur-

gendae facultas ei esset; surditatis in pedibus sensus, viribus defecit, ita ut nec stare firmis pedibus neque surgendi e lecto facultas maneret. Dorso et in medullae spinalis regione continua titillatio, aut cultrorum secantium sensus, quibus magna coëundi libido accessit, mixtis seminis ejaculationibus frequentibus neque ulla amoenitate junctis. Ambulandi facultas in dies decrevit, ingressus tractatorius et molestus, in genua incubuit, intumuerunt extremitates inferiores, alvi functiones valde laesae atque in coitu cum seminis ejaculatio nimium ei temporis durare videretur, se urinae magna copia uxoris vaginam implevisse invenit. Involuntarius urinae secessus, frequentior, copiosior; dolores vero et tumor in extremitatibus inferioribus paulatim evanuerunt; oculorum acies, qua prius gaudebat aegrotus, hebetudine cessit visus, ita ut legendi scribendique facultate orbaretur. Pari modo memoria atque ingenium turbatum, neque diutius rebus sic se habentibus a polyclinici regii quaerendo auxilio retineri potuit, quod incidit in tempus pentecostes anni MDCCCXXV.

Status praesens. Aegrotus temperamento sanguineo, constitutione robusta, facie ovali, colore livido et genis albidis, ebriositatis documentis praeditus, acne quidem rosacea; thorax optime constructus atque extensus, percussio atque auscultatio nullum pulmonum morbum detexerunt, pulsus regularis, mollis, non sat plenus, septuaginta circiter ictus in horae

sexagesima parte offert; extremitates superiores magna affectae macie atque superior corporis pars horripilationum status instar continuo tremescunt. Standi facultas jam paene deest extremitatibus inferioribus, incessus tractatorius securitate caret; in genibus peregrinorum corporum praesentiam sensit, penis praeputium propter continuum urinae defluxum paululum excoriatum. Corporis macies praesertim in medullae spinalis regionem non deest, urinae retinendae vis desideratur, alvus recusatis purgantibus obstructa, in vesicae urinariae regione dolores; digestio turbata, post captos cibos nausea, vomitiones ac vomitus ipse, ceterum jam prius dicta symptomata.

Aegrotum ab alio practicante suscepti, secundum symptomata, quae aegrotus praebuit, tabem dorsalem ante oculos me habere credidi, eamque in stadio secundo, cui diagnosi prognosin meam magis ad malum quam prosperum eventum vergentem accommodavi.

Nucem vomicam, supra a me repudiatam, hoc in casu tentandi causa dedi et non solum sine eventu sed imo in aegroti detrimentum, nam dolores ventriculi et affectiones spasmodicae extremitatum inde exoriebantur. Ignota e causa, quum rationalem therapiam instituere vellem, nosocomium frequentare jam noluit, atque quid ex eo factum sit, nescio.

Sectione diagnosin meam certiore reddere me non potuisse, valde doleo, magis vero, restituendae valetudinis talis aegroti occasione, me non usum esse.

AUCTORES, QUI DE MORBIS MEDULLAE SPINALIS SCRIPSERUNT.

Dr. G. P. Ollivier, über das Rückenmark und seine Krankheiten; mit Zusätzen vermehrt von **Dr. Radius**. Leipz. 1824.
Johann Abercromby, über die Krankheiten des Gehirns und Rückenmarks, aus dem Englischen von **Fr. de Blois**, mit einem Anhang über Geschwülste im Gehirn von **Fr. Nasse**, Professor. Bonn 1821.

Parent, Duchatelet et C. Martinet, recherches sur l'inflammation cérébrale et spinale. Paris 1821.

Guil. Horn, diss. de tabe dorsuali. Berl. 1817.

Christoph. a Weidenbach, diss. de tabe dors. Berl. 1817.

Sig. Loewenhard, diss. de myelophthisi chronica vera et notha. Berl. 1817.

Brendelius, diss. de tabe dorsuali. Gott. 1749.

Bergamaschi, Osservazioni sulla infiammazione della spinale medullo e delle sue membrane comunicata per lettera da **Gius. Bergamaschi** al **Sr. Brera**. Pavia 1810.

V I T A.

Ego **Guilelmus Koenig**, confessioni catholicae addictus, die **I. mensis Augusti**, anni hujus saeculi duodecimi, natus sum **Blankenhemii**, **Eifliae** oppidulo, patre **Adolpho** et matre **Catharina** e gente **Sonoré**, quos parentes summe de me meritos in vivis adhuc esse gratissimo erga **Deum** animo laetor. Anno aetatis meae decimo tertio, **Blankenhemio** relicto, una cum parentibus **Prumiam** me contuli, ubi pater meus munere fungitur regio. Anno sequenti **Juliacum** petii frequentandi **Progymnasii** causa, quod t. t. **Rectore Reinhardio** florebat. Biennio peracto hanc scholam reliqui et privatis lectionibus avunculi mei dilectissimi, qui ibi docet, gavisus

sum per anni spatium. Aetatis meae anno decimo septimo Monasteriam ad Eifliam me contuli, ubi primae classis discipulis Gymnasii adscriptus sum, cui t. t. praefuit Cl. Katzfey. Biennio post maturitatis testimonio instructus ad valetudinem restituendam domi annum dimidum versatus sum; deinde Bonnam me contuli, ubi a magnifico t. t. Rectore Diesterweg in civium academicorum numerum receptus et ab Ill. Nasse, t. t. decano spectatissimo, in album facultatis medicae inscriptus sum. Hisce ibi scholis interfui: Ill. Mayer de anatomia corporis humani, Ill. Weber de osteologia et arte cadaverum sectiones rite instituendi; Ill. a Calker de introductione in philosophiam, de logice et psychologia; Ill. Bischoff de physice et chemia; Ill. Noeggerath de mineralogia; Ill. Treviranus de botanice; Ill. Goldfufs de zoologia; Ill. Albers de pathologia et de morbis syphiliticis et de semiotice; Ill. Bischoff de pharmacologia; Ill. Wutzer de chirurgia; Ill. Kilian de arte obstetricia; Ill. Nasse de therapia et in clinico propaedeutico. Anno hujus saeculi trigesimo quarto almam hanc petii academiam Berolinensem et

civibus academicis adscriptus sum ab Ill. Steffens, t. t. rectore magnifico et Ill. Busch, t. t. decano spectatissimo, et exercitationibus clinicis medicis virorum Ill. et Cel. Rust, Wolff, Truestedt, Bartels, Busch interfui, quibus viris omnibus summe de me meritis maximas, quas possum, gratias ago.

Ut legi reipublicae satisfacerem, per annum auspiciis Cel. Lesser in legione praetoriana secunda chirurgi militaris munere voluntarius fungebar.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico, quam medico, et examine rigoroso rite superatis, spero fore ut, dissertatione et thesibus defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

T H E S E S.

1. **Laryngitis et Croup Francogallorum idem est morbus.**
 2. **Graviditatis initii nullum certum signum.**
 3. **Aquae soteriae artificiales non postponendae naturalibus.**
 4. **Puris metastasis existit.**
 5. **Arsenici usus internus non est rejiciendus.**
 6. **Vitae genus majoris paene semper momenti in morbis chronicis quam medicamenta.**
-